



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. V. An & quando matrimonium legitimum & consummatum inter
infideles, quoad viculum dissolvatur, vel dissolvi possit, per alterius
conjugis conversionem ad fidem, altero per severante ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

stunc. 3. ad 1. his verbis: Quando uterque pari voto continentiam voverit, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat. & ideo adhuc manet: sed quando unus tantum voverit, tunc quantum est in se abrenuntiat vinculo conjugali, & ideo aliter absoluitur à vinculo illo. Unde ad argumentum in forma, dato Antecedente, distinguendum est Consequens: Ergo jure naturali licitum est, à statu matrimonii rati, ad statum Religiosum transire, per dissolutionem vinculi conjugalis, nego. Per commutationem status in perfectioris in perfectiorem, concedo.

78 Dices: Votum solemnne Religionis irritat ex natura rei matrimonium subsequens, ut docet D. Thomas, & ostendemus infra: Ergo similiter dissolvit ex natura rei matrimonium ratum.

Sed nego consequentiam & paritatem: Disparitas est, quod matrimonium sequens votum solemnne Religionis, est traditio homini rei quæ jam erat tradita Deo.

79 Obijces quantum cum Francisco Amico contra tertiam conclusionem: Votum in Religione emissum, non dirimit matrimonium, nisi sit solemnne: At voti solemnitas solâ Ecclesiæ constitutione inducta est, ut ait Bonifacius VIII, cap. unico de voto in 6. Ergo solemnne votum Religionis non dirimit matrimonium ratum, nisi jure Ecclesiastico.

80 Respondeo, concessâ Majori negandâ Minorem, & ad illius probationem dico, quod quando Bonifacius ait, voti solemnitate sola constitutione Ecclesiæ esse inventam, loquitur solum de solemnitate accidentali, & ceremoniali, quæ in professione solemnii ab Ecclesiâ adhibetur, non verò de substantiali & essentiali, consistente in traditione sui ipsius facta in manu superioris, ad servandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam is facit vice Dei, hæc enim solemnitas est de jure divino, ut fassus ostendimus infra, cum inquireremus, quo jure votum solemnne Religionis dirimat matrimonium subsecutum.

81 Addo quod, quamvis daretur, solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione esse inductam, discursus Amici non valeret; quia licet votum haberet solemnitatem ab Ecclesiâ, à solo tamen Deo habere posset, quod matrimonium ratum dirimeret, sicut licet sacramentalia sola constitutione Ecclesiæ inventa sint, illorum tamen effectus, nempe remissio venialium, non ab Ecclesiâ, sed à solo Deo dependet.

82 Quæres primo, an si ante expletum bimestre quod Ecclesiâ concedit conjugibus ad deliberandum de ingressu in Religionem, sponsa vi optinatur à marito, possit adhuc suo jure uti, & ingredi Religionem?

Respondeo affirmativè, quia dolus nemini debet patrocinari, & nullus debet jus suum perdere, ob alterius culpam. Addo quod, matrimonium consummatum cum injuria conjugis, ex Christi institutione non evehitur ad representandam conjunctionem Verbi cum natura humana, aut Christi cum Ecclesiâ, quæ ut summè voluntaria, nequit per violentiam copulam representari: Ergo potest dissolvi per votum solemnne Religionis, sicut matrimonium ratum & nondum consummatum.

83 Quæres secundò, an votum solemnne quod emittunt equites Ordinis Melitensis, dirimat matrimonium ratum?

Respondeo affirmativè, quidquid dicat in contrarium Soto lib. 2. de justitia quæst. 5. art. 3. & in 4. dist. 27. qu. 1. art. 4. Quia per conjugium quæ

A Religionis à Sede Apostolica approbata, solemnem professionem dirimitur matrimonium ratum, ut definit Tridentinum sess. 24. can. 6. At Ordo Melitensis est Religio à Sede Apostolica approbata: Ergo dirimitur matrimonium ratum, per solemnem professionem quæ in eo emittitur. Quod confirmat Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 8. nu. 6. exemplo cujusdam ducis, qui per professionem hujus Ordinis, sapientum consilio, solutus est matrimonio, refertque ex Navaro in statutis hujus Religionis, à Pontifice approbati, haberi, in eam admitti posse quemcumque post matrimonium ratum, non consummatum.

ARTICULUS V.

An & quando matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, quoad vinculum dissolvatur, vel dissolvi possit per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, & male tepacificè, vel sine contumelia Creatoris, habitare cum altero?

Certum est, matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, dissolvi posse quoad habitationem & thorum, ita ut liberum sit conjugi fideli remanere cum conjugè infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo. Ut enim dicitur S. Thomas hic quæst. 9. art. 4. in argumento ad contra, adulterium spirituale est gravius quam carnale: Sed propter carnale adulterium potest vir dimittere uxorem, quantum ad thorum & habitationem: Ergo à fortiori propter infidelitatem, quæ est adulterium spirituale. Præterea, ut ait idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli, fidelis regeneratur per Baptismum in novam vitam, & moritur priori: qui autem moritur priori vitæ, non tenetur ad ea quæ perfectioni posterioris obstant: Sed obligatio ad actus matrimonii obstat perfectioni Religionis Christianæ, utpote cujus summum statum continentibus possident: Ergo infidelis conversus ad fidem, & regeneratus per Baptismum, non tenetur redere debitum conjugis alteri coniugi in infidelitate perseverante, sed potest ab eo separari quoad thorum & habitationem.

Ex quo habes congruentiam, ob quam Christianus conjugem fidem potius ab obligatione cohabitandi cum uxore infideli liberaverit, quam servum fidem ab onere serviendi domino infideli: ut enim ibidem in resp. ad 1. ait idem Doctor Angelicus, servire non est aliquid incompetentis Christianæ Religionis perfectioni, quæ maxime humilitatem proficitur: sed obligatio ad actum matrimonii derogat perfectioni vitæ Christianæ, cujus summum statum continentibus possident. Præterea, addit S. Doctor, unus conjugum non obligat alteri, quasi dominus servo, per modum societatis, cujusdam, quæ non est congrua, si sit infidelis ad fidem.

Dixi verò, liberum esse conjugi fideli remanere cum conjugè infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo, quia licet per conventionem ad fidem, solvatur ab obligatione cohabitandi cum conjugè infideli, potest tamen, si velit, cum

cum eo remanere, in idem consulit Apostolus 1. A
ad Corinth. 7. dicens: Si quis frater uxorem habet
infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat
illam. Et si quia mulier fidelis habet virum infidelem,
& hic consentit habitare cum illo, non dimittat virum:
sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidem,
& sanctificata est mulier infidelis, per virum fidem:
quia nimirum conjux fidelis, sua exhortatione
& exemplo, saepe conjugem infidelem, ad fidem
& professionem Christianam, per quam sancti-
ficatur, inducit.

87 His praemissis, duplex est difficultas breviter
hieresolvenda. Prima est, an per conversionem
alterius conjugis ad fidem, dissolvatur matrimo-
nium consummatum inter infideles, non lo-
lum quoad habitationem & thorum, sed etiam
quoad vinculum conjugale, ita ut utrique libe-
rum sit ad secundas nuptias convolare? Secun-
do quaeritur, quo tempore solvatur matrimo-
nium fidelis conversi cum infideli nolente con-
verti, an statimque ille convertitur, & baptis-
mum suscipit, vel solum quando transiit ad se-
cundas nuptias, & aliud matrimonium reipia
contrahit? Pro resolutione sit

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas re-
solvitur.

Dico primò, matrimonium infidelium, etiam
post consummationem, dissolvi potest,
etiam quoad vinculum conjugale, si alter con-
jugum convertatur ad fidem, & alter nolit pa-
cifice & sine contumelia Creatoris habitare
cum illo; secus verò, si alter velit pacifice & si-
ne scandalo cohabitare.

88 Prima pars hujus conclusionis certa est, & ab
omnibus Theologis admittitur, habeturque
cap. Quanto, de divoritiis, ubi Innocentius, III.
ait, quod si alter infidelium conjugum, ad fidem Ca-
tholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non
sine blasphemia divini nominis: vel ut eum pertrahat ad
mortale peccatum, et cohabitare volente, ad secundam, si
voluerit, vota transire possit.

89 Colligitur etiam ex Apostolo 1. ad Corinth.
7. ubi primum de matrimonio contracto inter
Christianos sic loquitur: Tu autem qui matrimonium
junctus sum, precipio, non ego, sed Dominus uxorem à
viro non discedere; quod si discesserit, manere in nuptiam,
aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.
Deinde de matrimonio cum infidelibus con-
tracto subiungit: Nam ceterum ego dico, non Domi-
nus. Si quis frater uxorem habet infidelem & hac consen-
sit habitare cum illo, non dimittat illam &c. Quod si
infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus
est frater aut soror in huiusmodi. Quae ultima verba,
juxta communem interpretationem explicationem,
significant quod si conjux infidelis, odio Chri-
stianae Religionis sponte recesserit à conjugate fi-
deli, conjux fidelis non subicitur servituti, ut
debeat remanere in cohabitu, non nubendo
alteri. Idem autem dicendum est à fortiori, si
infidelis remaneat quidem cum fidele, sed cum
injuria Creatoris, & spirituali damno conversi
conjugis, quia hoc est deterius, quam si disce-
deret.

90 Dices, nihil tale significari verbis illis Aposto-
licis quia verbum discedit apud illum significat
discessum imperfectum, quantum scilicet ad
thorum & cohabitationem, non vero etiam

Tom. V.

quoad vinculi conjugalis solutionem, ut patet
ex iis quae praemiserat, praecipiens mulierem fidem
à viro fidele non discedere, & si discederet, manere in nu-
ptiam, aut viro suo reconciliari: Ubi manifestum
est, verbum discedere, accipi tantum pro imperfec-
to discessu, scilicet praecise quoad thorum &
cohabitationem. Tum etiam, quia nomine ser-
vitutis, quod habetur in eodem loco, Apostolus
significat solum obligationem sequendi conju-
gem discedentem, & exhibendi ei debita officia
conjugalia: ex hoc autem quod frater vel soror
non sit subdita huiusmodi servituti, nullo mo-
do sequitur, quod vinculum matrimonii in eo
casu dissolvatur.

Sed contra: Ideò verbum discedat, applicatum
ab Apostolo mulieri fidele, discedenti licet à
conjugate etiam fidele, non significat dissolutio-
nem matrimonii quoad vinculum, sed tantum
separationem quoad lectum & lectum, quia
verba quae statim subiungit, videlicet, quod si dis-
cesserit, maneat in nuptia, aperte illud declarant; sed
è contra verba quae subiungit Paulus eidem ver-
bo discedat, applicata postea conjugate fidele, à quo
infidelis discedit, nihil tale declarant, quin po-
tius significant discessum perfectum quoad vin-
culum, quandoquidem dicit absolute & infinite
Paulus: Non enim servituti subiectus est frater aut soror
in huiusmodi: Propositio autem indefinita aequi-
valeat universali, atque adeò sensus est, nulli pro-
fus servituti, neque videlicet quoad cohabitatio-
nem & thorum, neque quoad vinculum, rema-
nere conjugem fidem subiectum in illo casu;
maxime cum, etiam si non discederet conjux in-
fidelis à conjugate fidele, sed consentiret cohabi-
tare, etiam absque injuria Creatoris, non esset
frater aut soror fidelis subiectus servituti coha-
bitandi, & officia conjugalia praestandi; quia
non est praecceptum, sed tantum consilium coha-
bitare in tali casu cum conjugate fidele, ut constat
ex supra dictis.

Secunda pars conclusionis est contra Bellar-
minum, omniumque, & alios Recentiores, ex-
stimantes solvi posse quantum ad vinculum ma-
trimonium fidelis conversi ad fidem Christia-
nam, cum infideli nolente converti, etiam in eo
casu quod conjux remanens in infidelitate, vult
cohabitare pacifice, & sine contumelia Creatoris.
Est tamen D. Thomas hic quaest. 59. art. 5. in
corp. ubi sic ait: Quanto alter conjugum ad fidem
convertitur, altero in infidelitate remanente, distinquen-
dum est; quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia
Creatoris, id est sine hoc quod ad infidelitatem inducat,
potest fidelis libere discedere (id est ab eo separari
quoad cohabitationem & thorum) Sed discedens
non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit co-
habitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiam
prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si ad
infidelitatem pertrahere natus, vir fidelis discedens po-
test alteri per matrimonium copulari.

Idem colligitur ex cap. Gaudemus, de divor-
tiis, ubi expressè dicitur, conjugem ad fidem
Christi conversum, non posse aliam ducere uxorem,
deferendo primam, nisi post conversionem ipsius, illa re-
nuat habitare cum ipso aut etiam si consentiat, non tamen absque contume-
lia Creatoris. Et cap. Quanto, eodem titulo, ex-
primuntur tantum hi duo casus, in quibus licet
conjugate ad fidem converso, ad secundum si vo-
luerit transire matrimonium: Si alter infidelium
conjugum, ad fidem Catholicam convertatur, altero,
vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis,

Eccc

vel

vel cum pertrahat ad mortale peccatum, et cohabitare volent. Ergo id non potest, si alter vult pacifice, & sine scandalo, & contumelia Creatoris, cohabitare.

94 Ratio etiam id suadet: Christus enim hoc privilegium infidelibus conversis non concessit, nisi in gratiam fidei, quæ tunc non periclitatur; & ne cogantur, aut perpetuo cælibes vivere post conversionem, aut habitare cum conjugate scandaloso, & conante ad infidelitatem pertrahere; quod non habet locum, cum conjux infidelis pacifice & sine contumelia Creatoris cohabitare contentit.

95 Dico secundò, matrimonium fidelis conversi, cum infideli nolente converti, nec cohabitare pacifice, & sine contumelia Creatoris, non dissolvitur, nisi quando conversus reipso contrahit aliud matrimonium. Est contra Hostiensem. Altitodorensem, Angelum, & alios, existimantes tale matrimonium solvi statim atque ille convertitur, & suscipit Baptismum. Est tamen D. Thomæ hic quæst. 59, art. 5, ad 2, ubi hæc scribit: *Crimen uxoris nolenti cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum à servitute, quæ tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium, quia si illa converteretur antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus; sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus à servitute uxoris suæ, per culpam ejusdem.*

96 Colligitur etiam manifestè hæc veritas ex cap. Gaudemus, de divortio, ubi Innocentius III. respondet, si conjux infidelis convertatur ad fidem, priusquam fidelis conversus aliud matrimonium inierit, compellendum esse istum, ut compartem recipiat: Sed non esset compellendus, si matrimonium in ipsa conversione dissolutum fuisset; jam enim conjux illius non esset: Ergo matrimonium illud in ipsa conversione conjugis fidelis non dissolvitur, sed solum quando ille novum contrahit matrimonium. Unde sicut solvitur matrimonium ratum Christianorum, per professionem in Religione approbatam, & non prius, uno alterum quasi formaliter destruentes; sic prius matrimonium fidelis conversi cum infideli, in infidelitate contractum & consummatum, cessat eodem instanti quo fidelis conversus reipso aliud contrahit, & non prius.

97 Ex quo inferes primò, infidelem contrahere invalidè cum alio, priusquam fidelis conversus, ad alias nuptias transierit, quia vinculum cum fidelis converso, non dissolvitur per matrimonium infidelis, in cuius gratiam non fuit concessum hoc privilegium, sed solum per matrimonium fidelis conversi, in cuius gratiam tale privilegium à Christo concessum est: Sed manente vinculo prioris matrimonii, non potest infidelis validè aliud contrahere: Ergo nec potest validè contrahere, donec fidelis ad alias nuptias convolarit.

98 Inferes secundò, si post secundum matrimonium à fidelis initum, contingat priorem ejus uxorem converti, & secundam morti non tenebitur ad primam: Idcirco quia extinctum fuit vinculum prioris matrimonii, & eo extincto, nulla manet obligatio cohabitandi, vel ineundi de novo conjugum.

99 Inferes tertio, fidelis conversum non posse secundas nuptias inire, nisi postquam illi constat de pertinacia conjugis nolentis converti, aut

A cum eo pacifice & sine contumelia Creatoris habitare; cum ea sola pertinacia de illi justitiamendi à priori matrimonio, & aliud contrahendi. Ex quo sequitur, reveri cum prius alterum manere & invitare ad fidem, quia alius non potest illi constare de alterius pertinacia. Excepit tamen casum, quo hæc monitio esset valde difficilis, & moraliter impossibilis, puta quia infidelis propter dñs est in regionem longinquam, neque ipse est conveniendi intra tempus notabile, vel quia nescitur quò abierit, aut quid de illo factum sit. Quæ de causa Pius V. non proprio quem creatus habet lib. 7, disp. 74, num. 13, de hinc, loc. cit. Ordinales ad fidem convertitos, qui scire non possunt quid actum sit de conjugate quæ infidelis reliquerunt, posse manere in conjugio quod post conversionem contraxerunt, Idem concessit Gregorius XIII. pro Angolanis, & Ethiopibus, Brasiliensibus & aliis Indorum nationibus, cujus concessionis Aiteas refert Pontius lib. 7, de matrim. cap. 48, num. 13.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Matrimonium fidelium, altero conjugum lapsio in hæresim, & nolente habitare cum infideli, sine contumelia Creatoris, non solvitur quoad vinculum conjugale, sed solum quoad thorum & habitationem: Ergo etiam matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem, & alter non vult pacifice & sine contumelia Creatoris habitare cum eo, solvitur quoad thorum & habitationem, non vero quoad vinculum conjugale. Consequentia videtur legitima, ex paritate rationis: nam in primo casu non minor requiritur contumelia Creatoris, neque minus molestia aut periculi timor à conjugate lapsio in hæresim, & alterum secum in errorem pertrahere conante: Ergo si hoc non obstant non solvatur vinculum conjugale, non solvitur etiam quando unus ex conjugibus infidelibus convertitur ad fidem, & alter non vult pacifice & sine contumelia Creatoris cohabitare. Apud præcedens verò est certum de fide, ac de statu in Tridentino sess. 24, can. 5, his verbis: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molitiam voluntatem, & si solvi possit matrimonium, excommunicatus sit.* Idem quoque antea declaraverat Innocentius III. cap. Quanto, de divortio, ubi hæc ait: *Si alius fidelis conjugum, vel habitum in hæresim, vel in errorem, non credimus quod in hoc casu in quo relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare.*

Respondet, concessio Antecedente, negando 1º consequentiam & paritatem, magnum enim reperitur discrimen inter matrimonia contracta in infidelitate, & contracta post baptismum: quæ enim contrahuntur in infidelitate, non sunt sacramenta, sicut illa quæ contrahuntur post baptismum, & ideo magis dissolvi possunt: unde non mirum quod non solvantur matrimonium Christianorum, cum alter conjugum fidelium labitur in hæresim, & non vult habitare cum altero sine contumelia Creatoris bene tamen matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem, & alter non vult habitare pacifice & sine contumelia Creatoris. Alia etiam ratio discriminis reddi potest, nam quando unus conjugum

Jugum infidelium ad fidem convertitur, & suscipit Baptismum; alter vero tenuit idem facere, neque vult pacifice cohabitare; Ecclesia quæ non habet potestatem circa infideles, non potest istam cogere censuram & poenis ad cohabitandum pacifice, & conjugio læso efficaciter succurrere. Ex quo fit, ut nisi solveretur vinculum matrimonii, deberet conversus vel manere perpetuo in statu cælibatus, vel pati rixas perpetuas, & continua scandala, periculumque lubire fidei amittendæ. Quod incommodum gravissimum est, multoque sine dubio à suscipienda fide Christiana retardaret, nisi Christus illi providisset. Secus autem est de conjugio baptizato in hæresim lapso, nam ratione Baptismi & charactæris, qui est indelebilis, manet semper Ecclesiæ legibus subiectus, & ab illa compelli & puniri potest, etiam morte corporali, nisi ad frugem redeat.

102. Obijcies secundò: Si matrimonium infidelium in lege Evangelica solvi possit, per conversionem alterius conjugis ad fidem, sequitur quod etiam dissolvi potuisset ante legem Evangelicam, per conversionem alterius conjugis ad Judaismum, verum Deum colentem; rationes enim quibus utuntur Theologi ad probandum talem dissolutionem in lege Evangelica, nimirum quod multi revocarentur à professione Christianæ Religionis, si intelligerent, discedente conjugio infideli, esse ipsi servandum cælibatum. Quod infideles per Baptismum regenerantur ad novam vitam, subindeque non tenentur ad id quod ejus perfectioni obstat, quale est obligatio ad actus matrimonii, ut supra cum D. Thoma dicebamus. Quod matrimonii vinculum est relatio æquiparantiæ inter socios; congruum autem non est, quod infideles sint socii & pares cum fidelibus: hæc inquam, rationes æquè procedunt de matrimonio infidelium ante legem Evangelicam, ac postea.

103. Respondeo negando sequelam, nunc enim dissolvitur matrimonium infidelium, per conversionem alterius conjugis ad fidem, ex privilegio & dispensatione Christi, quam colligit sufficienter Ecclesia ex verbis Apostoli supra relatis, pro statu legis gratiæ, non pro statu legis scriptæ. Rationes autem quæ afferuntur in objectione, non sunt demonstrativæ, sed tantum quædam congruentiæ, quæ suppositâ existentia rei de qua est questio, illam declarant.

104. Obijcies tercio contra secundam conclusionem illud Ambrosii in cap. 7. Epistolæ ad Corinthios. *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circumquiritur.* Quibus verbis docere videtur matrimonium fidelis conversi cum infideli nolente converti, dissolvi statim atque ille convertitur ad fidem, & suscipit sacramentum Baptismi.

Sed præterquam dubium & incertum est, an commentaria illa sint Ambrosii, facile respondetur, sensum horum verborum esse, contumelia Creatoris solvit jus matrimonii, casualiter vel occasionaliter, quia dat jus & potestatem converso illud dissolvendi formaliter, per aliud matrimonium quod valde cum alio contrahere potest.

DISPUTATIO VI.

De bonis Matrimonii.

Ad questionem 49. supplementi.

Explicata præcipua matrimonii proprietate, quæ est ejus indissolubilitas, consequens est, ut de triplicie ejus bono differamus, & quæ docet S. Thomas quæst. 49. supplementi, breviter explicemus.

ARTICULUS UNICUS.

An & quæ bona necessaria sint ad exco-sandum Matrimonium?

Dico primò, aliqua oportuit esse bona, ut matrimonium excoletetur, & fieret prudenter eligibile, ita D. Thomas hic art. 1.

Probatur ratione quam ibidem expendit. Nullus sapiens debet aliquam jacturam sustinere, nisi cum recompensatione æqualis vel majoris boni. Sed per matrimonium plura incurrun-tur damna & incommoda: Ergo ut redderetur honestū & prudenter eligibile, aliqua bona requi-runtur, quibus damna illa & incommoda com-pensentur & reparentur. Major constat, Minor probatur, damna illa & incommoda recedendo. In primis, ergo in actu matrimonii jactura quædam rationis incurritur, quippe quæ per nimiam vo-luptatem absorbetur, ut ait Philosophus libro 7. Ethic. cap. 1. circa finem. Unde in illo actu, homo, ut inquit S. Thomas, fit totus caro, & as-similatur equis & mulis, quibus non est intelle-ctus. Hinc Hieronymus Epistolæ 11. quæ est de mo-nogamia, super hæc verba, quæ de seipso dicit Ezechiel, *Mortua est uxor mea, & apertum est os meum, sic ait: Nec duxeris uxorem, nec ille qui duxerit, possunt in opere conjugali libere prophetare.* Quod rati-los urget libro 2. contra Jovinianum cap. 18. ex eo quod Prophetæ nisi tangente corda Spiritus Sancti non prophetent, & in actu conjugali Prophetarum corda Spiritus Sancti non tan-gat. Et cap. 28 hæc scribit: *Fertur Aureolus Theo-phraستي liber in quo querit, an vir sapiens ducat uxorem? & cum definiisset si pulchra esset, si bene morata, si honesta parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim infert: Hæc au-tem in nuptiis raro universa concordant: non est ergo uxor ducenda sapienti.* Et causam subdit, dicens: *Im-pediri studia Philosophiæ per conjugium; ne possit quem-quam libris & uxori pariter inservire.*

Adde quod per usum matrimonii non solum ratio absorbetur, sed etiam corpus viri multum debilitatur, omnesque illius sensus obrundun-tur, ut quiddam belle his versibus expressit:

*Fœmina corpus, opes, animum, vim, lumina,
sensus
Destruit, annihilet, necat, trahit, orbat, ac
cerbat.*

Hoc sensu Cajetanus in cap. 2. Genesim expo-nit id quod dicitur de formatione Evæ ex costa Adami dormientis Genes. 2. versu 21. Vult enim id metaphoricè intelligendum esse, & non alio pertinere, nisi ad significandam diminutionem roboris ex corpore viri, propter usum conjugii.

Ecce 2

Mu